Cl. V. D. Theophilo Madero,
Rhaphaël Eglinus S. D.

Salue, Chare-Deo, chare et mortalibus hospes;
Et breue, quod mittit, carmen Eglinus habe.
Expetit ut memori promissa exoluere mente,
Nosq; ista, aut alia visere luce velis.
Timotheum addideris fratrem, sociumq; laboris,
Hoc comite adiuncto mox bene cedet iter.
Nec deerit Stephanus, non Irmingerus, opinor,
Si poterit Scripti certior esse mei.
Cernitis incertis iactentur ut omnia turbis,
Et quos iunxit Amor, Mars quoq; dissociet,
Te quoq;, Amice-Deo, longa interualla locorq;
Hinc rapient, nec fit copia certa tui:
Ergò presenti utamur feliciter hora,
Ne pereat nostræ fructus amicitiæ.
Hoc petit et Florus, petit hoc quoq; noster amicus,
Qui sese Dominum nunc negat esse. Vale.